

R. 82

XXXI.

1701 11^b

18.

2

Q. D. B. V.

DISSERTATIO JVRIDICA

De

IMPERATORE ET REGE ROMANO.

Quam-

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. FRIDER. WILHELMO,
CORONAE BORVSSICAE AC ELECTORATVS
HEREDE &c. &c. &c.

IN ILLVSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA
PRAESIDE

DN. JAC. BRVNNEMANNO
JVRIVM LICENTIATO.

D. 18. Febr. 1701. H. L. Q. C.

Eruditorum disquisitioni subjicit
AVGVSTVS ADOLPHVS ERMISCH,
BRVNSVICENSIS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,
Typis JOHANNIS GRVNERI, Acad. Typogr.

DISSEMINATIO
IMPERIALE
ROMANO

RECTORIE MAGNIFICENTIA
CORONARIAE BORUSSICAE AGM. IMPERIALE
HERALDICA
EX TACITIUS BRUNNII
CARINATICO ENCLAVO
SIGILLIS STUTTGARTENSIBVS ERMINIIS
HISTORICO-PARADE
T. M. BOVENS GRANVILLE, A. 1671.

COROLLARIA.

I.

Sunt nonnulla jura quorum exercitium per Imperium sibi vindicare posset IMPERATOR, nisi principia religionis, qua imbutus est, refragarentur. Pertinet huc supremum judicis officium in causis matrimonialibus Principum Imperii. Veteres autem Imperatores Germanorum autoritatem suam interposuisse, subortis inter Principes controversiis matrimonialibus, annales Germaniae fidem faciunt.

II.

Qquamvis politice non sperandum sit, ut per electionem aliquis Electorum aut Principum Evangelicorum adscendat solium Imperiorium; nihilominus hoc clarum est, quod a spe hac Principes Evangelici per leges publicas fundamentales Germaniae non arceantur, uti Pontificii communiter cum Kieffero blaterant.

III.

Sub jurata in Capitulationibus fide IMPERATOR adstrictus est, ad æqualem protectionem, tam Catholico-Romanæ, quam Evangelicis religionibus præstāndam. Neque ab hac cura ipsum liberat, quod mox ab exordio Capitulationum soleat a pontificiis Electoribus adstringi ad protectionem & Advocatiam Sedis Romanæ. Hoc enim fit salvis juribus Evangelicis, uti mox ibidemclare adjicitur.

IV.

Uti Blondellus, Hippolytus a Lapide & alii iniqui sæpius ac mordaces in jura & prærogativas Imperatoro-

toris deprehenduntur; ita vicissim alii superstitione
creduli, quicquid olim simplicitas ævi admisit, ad præ-
rogativas Imperatoris & dignitatem Imperii pertine-
re, contendunt. Dignitas autem Imperii non con-
sistit in putatius prærogativis, sed in fortissimo auxilio &
conservatione tranquillitatis Europæ, & ut nil de ju-
ribus, quæ prætendere cum ratione potest, aut actu
possidet, ab aliis dolo & vi decerpere patiatur, cuius
rei illustre exemplum in vindicatione *Ducatus Medio-a-
rensis* est, quam nunc Sui & Imperii causa, parat Glorio-
fissimus LEOPOLDVS.

V.

Germania, uti separatum ab Imperio Romano
Regnum constituit; ita etiam in specie Romanis aut
Græcis Imperatoribus nunquam subjecta fuit, ut hinc
illi etiam non leviter hallucinentur, qui existimant,
leges civiles, sive sint Romanæ veteres, sive a Justini-
niano interpolatae, obligare Germanos ex jussu horum
Imperatorum.

VI.

Non evertit indolem Rerum publicarum uno fœ-
deris nexu inter se coadunatarum, si unus aliquis, ve-
lut Princeps aut Dux fœderis, emineat, & simulacris
summae potestatis vestitus sit.

VI.

Ubi Blondellus Hippolytus & Iacobus & illi in primis
tempore ac morte eius in his & posterioribus Imperiis



DISSESSATIO IV.

*De*IMPERATORE ET REGE
ROMANO.

S U M M A R I A.

Reges Germanie, quando titulum Imperatoris assumserint, & quoniam ille postea auctor sit. §. 1.

Reges nonnulli Imperatoris titulum affectarunt; Majestatis titulus, §. 2.

Elogia Imperatoris: Dominus mundi, Caput temporale, Advocatus Ecclesie, Ensis Et c. §. 3.

Ostenditur, hodie hos titulos parum in recessu habere, & a Curia Romana effici osse; Furstenerius notatur istos defendens. §. 4.

Electione Imperatorum an semper a tempore Carolingorum in Imperio observata sit? §. 5.

Norma & forma electionis Imperatoria hodie in A.B. descripta. §. 6.

Requisita persona eligenda, an Germanus esse debeat? Et c. §. 7. Epicrisis de his questionibus. Ibid.

Coronatio Imperatoria triplex. §. 8.

Coronatio Germanie hodie sola est in usu, quis eam perficiat, lites inter Coloniensem & Moguntinum. §. 9.

De Imperatoris Germanici potestate unde debet differri; Ineptie veterum de lege Regia. §. 10.

Enumerantur partes majestatis, ubi Imperatori parum aut nihil relictum. §. 11.

Potestas Caesaris circa jus belli & pacis. §. 12.
circa sacra. §. 13.

circa leges forendi. §. 14.

Reliqua jura Imperatoris, Ibid.

K

Com-

Comparatio jurium Imperatoris in Imperio cum juribus Statuum in territorii suis. §. 15.

Inde forma Imperii excutitur, qualis sit; an Monarchica? an Aristocratica? §. 16.

An mixta negatur, quia illa mixtura impingit in regulas Policie & formam civitatum. §. 17.

Probabilior illorum opinio, qui Germaniam ad Systema foederatorum vergere existimant. §. 18.

Quare haec sententia communiter haec tenus explosa sit, §. 19.

Quomodo Romanus Imperator desinat esse. §. 20.

De Rege Romanorum ejusque potestate vito Imperatore. §. 21.

An expeditat Imperio Regem Romanum eligi? §. 22.

An ad hanc rem reliquorum Statuum consensu opus sit. §. 23.

De Capitulatione Regis Romanorum. §. 24.

De Augusta sive Imperatricis juribus. §. 25. seq.

§. I.



Arolum Magnum titulo *Imperatoris* abstinuisse, & sub stirpe Carolina, Regnū Francorum titulo Romani Imperii fuisse insignitum, nusquam legi, existimat Monzambano de *Statu Imp.* Cap. I. §. 1. Appellatione *Cesaris* itidem non usus fuisse, ex Goldasti *Prefatione rom. 3. Confir. Imper.* annotat Boëcler *Notit. Imp. L. IV. c. I.* & fatetur ibidem Goldastus, se nescire, quando in Germaniam al-

Iatum Cæsar nomen sit. Quod si verum esset, rationes ex superiori Differit. §. 6. seqq. facile arcessi possent. Verum refragantur Goldasto & Monzambano Diplomata apud Jo. Mabillonum *de Re Diplomat. Lib. II. c. 3. Baronum Annal. Ecclesiast. tom. IX.* ut & Pithœum in *Corp. Script. Francicor.* in quibus legitur: *Imperator, Cæsar Carolus Rex Francorum.* Inde probabile est, & Successores utut non semper una formula constantique stilo, Imperatoris & Cæsar noster titulum assunxisse. Successu temporis vero titulus Imperatoris acceſſione noviter acquisitorum Regnorum auctus est, Henricus VI.

primum

DE IMPERATORE ET REGE ROMANO. 67

primum Imperatorio titulo Regnum *Siclie* adjecit. Fridericus II filius, ob matrimonium Jolz, Johannis Brenni, Regis Hierosolymitani, filia, & hoc *Regnum Hierosolymæ* titulo Imperatorio inse-
ruit. Ad horum imitationem seculo XIV. Carolus IV. Regis *Bohe-
mia* titulum superaddidit, cuius filius Sigismundus *Hungaria* Re-
gis appellatione auxit. Postea Fridericus III. in usitato antea exem-
pli, omnes titulos *Austriacos* superimposuit. Complementum ad-
didit Maximilianus I. novo *Germania* Regis assumto nomine. Ut
tcelicet eo fortius indigaret, Germanorum Regnum a reliquiis
Imperii Romani distinctum esse, licet ab uno Imperatore regan-
tur. Conring. de Germ. Imp. Rom. c. 12. Dn. Swederus J. P. part. spec.
scđ. I c. i. §. 7. Vocabulo *Augusti* vero inter titulos Imperatorios vo-
culam *semper* adjecit Fridericus I. imitatione vel potius xmulatione
Græcorum. Bœcler. Not. Imp. L. 4 c. 1. Conf. etiam Dn. Schurtz-
fleischii Diff. elegans de *Título Augusti*. Græcos enim de titulo Im-
peratoris & Augusti item ipsi movisse, fuisus recenset Dn. Bezman.
Not. Dign. illuſtr. Diff. II. c. I. §. 10. Imperatoribus nostris autem ho-
die scurrilibus scommatis & ftrophis abjudicare hæc nomina Blondel-
lum in Pref. apolo. p. 31. & 33. assertit Bœclerus l. c. haud dubie
ad Diff. suam de *Sacro Romano Imperio*, quæ contra Blondellum con-
scripta est, respiciens. Verum cum alii demonstraverint, ipsum
Bœclerum non semper optima fide agere cum adversario, & sape
loco rationum adfectus & inde rethorizationes producere, hinc
temere ipsi non credendum. Interim quid sentiendum sit de
Blondelli hac opinione, ex preced. Diff. satis patet.

§ II. Nonnullos etiam Reges, xmulatione Imperatorii
Germanici nominis, titulum Imperatorum sibi assūmis-
sisse, fuisus exponit Limnaeus tom. IV. Addit ad J. P. L. 2. C. I. n. 43 p. 196. seq. & in
Notit. Francie lib. 2. c. I. Titulo *Serenissimi, Invictissimi, Gloriosissimi* a Ca-
rolinis temporibus usos fuisse nostros Imperatores, satis indicant
diplomata apud Joh. Mabillonum de Re Diplomat. Lib. II. c. 3. du
Fresne in *Glossario sub his voc.* cum quibus conferri meretur judi-
cium Dn. Bezmanni Not. Dign. illuſtr. Diff. 3. C. I. §. 3. quare Impera-
tores Christiani hos titulos aliquantum a modestia & humilitate
Christianæ abeunt, sibi tribuendos curaverint. Quoad Maje-
statis

statis appellationem autem recte annotat Boëcler. *I.e.* significacionem potestatis, a significatu curiali honoris; in priori sensu denotat summam potestatem in civitate, hinc & Majestas in Aristocratiis & Democratiis est. Tali suppositione an Imperatori competat in Imperio; deinde videbimus. Majestatis appellatione antem, quatenus curialis honoris est, Imperator citra dubium gaudet, una cum omnibus Regibus, quam adhuc etiam regnent, uti in Polonia & Anglia. De hac igitur Majestate traditum Limnaeus ad Capitul. Rudolphi II. artic. 32. ante Carolum V. vix exemplum occurrere, ubi Majestatis titulo usi sint Imperatores, sed tantum vocibus *der Rätsel. Gnaden und Würden* qua Electores & Principes ante Instrumentum pacis, Leges etiam compellabant. Dn. Pufendorf. hist. Friderici Wilhelmi L. II. §. 14. 17. siccq. Quamvis autem apud Baluzium, Mabillonum, du Fresne & alios extant Diplomata, ubi Imperatores Majestatis voce usi, tamen curialis significatio propria, constantique filio Curiae retenta, ante Caroli V. tempora non videtur observata.

§. III. De titulo Imperatoris, quod vocetur *Dominus Mundus*, in L. 9 ff. ad L. Rhod. de jactu, nihil addo. Res enim hodie ita clara, ut politiores scriptores, qualis Conringius & alii, merito pigeat veterum ineptiarum, quas ignorantia historiae & politices produxit Novissime Huberus L. I. de Civit. Secl. 9 c. 7. Peckio miseram Philosophiam ad d. L. 9. quod mundi dominium de jure ad Imperatorem spectet, adhuc excidisse, merito miratur. Majus opera pretium vero videtur esse, si inquiramus in titulos, quibus in legibus publicis maestantur Imperatores. Judice enim Boëclero, instar regulæ observandi ac auctentici sunt tituli, qui in legibus publicis ponuntur. *I.e.* pag. 68. nihilominus existimo, lubricam esse hanc regulam, uti enim leges ipsæ cum statu mutantur, ita & efficacia titulorum ibi occurrentium. Res fieri manifestior exemplis. In A. Bulla C. 2. §. 3. 4. 5. Imperator *Caput fidelium temporale* vocatur. In *Recessu Imp. de Anno 1529. §. 1.* vocatur Imperator *Advocatus universalis*, sive *der Oberste Vogt und Haupt der Christenheit*. Indigitatum etiam hoc ivit. Elector Moguntinus Collegas suos in voto *Electionis Caroli V.* ita alloquens: *Ceteri Reges*

DE IMPERATORE ET REGE ROMANO.

69

non sustinet hoc omnis ingens, externa Regna propugnandi. Noster Imperator eligitur, ut sit Dux publici confilii inter omnes Reges, ut propugnet Italiam, ut tranquillitatem Ecclesia custodiat &c. Inde eo tempore solennes phrases: Cesar est Imperator i.e. Dux natus Christianorum aduersus infideles; est Ecclesia universalis Advocatus; Ensifer, Archib-Mare schallus & Brachium seculare.

§. IV. Verum, si statum istorum temporum accuratius pensitemus, Pontificum Romanorum calliditate hanc persuationem credulis & simplicibus seculis obtrusam fuisse, eo commodius orbem Christianum sub jugum redigendi. Erat Imperator temporale Caput fidelium, sive orbis Christiani, sed Papa erat *Spirituale*, hinc superior. Erat Imperator Ecclesia Ensifer, Dux natus, Brachium seculare, h.e. secundum sensum Cleri mysticum, executor tyrannidis clericalis, omnes tyrannides supergreditientis, in Orbem Christianum. Inde etiam Dux *Pasagiorum* salutabatur Imperator, h.e. bellorum infelictum & injustissimorum ad recuperandam Palæstinam. *Bella Domini* vocabant Pontifices, quæ descripta in libro sub titulo: *Gesta Dei per Francos*, sed revera Pontifex callido hoc invento urebat ad subjugandum orbem Christianum, flore ejusdem infelicitibus hisce & miseric *Expeditionibus Cruciatia*, instar victimæ, pro papali ambitione, deleto. Verum cum post tempora Reformationis visus restitutus sit cæcumenti Orbi, hi tituli Imperatorii amplius nullius efficacæ. Auctoritas circa *Concilia convocanda* aut moderanda, vix usu convalescere potest, cum constet abunde ex historia Concilii Tridentini a *Paulo Sarpi*, Pontificio, sed cordato & ingenuo historico, edita, quantum horrorem & averstationem Curia Romana contra Concilia habeat, nec id sine ratione, si acta *Concili Basileensis & Constantiensis* revocet in memoriam. Miror inde, politissimum Cesarinum Furstenerium de *Suprematu in pref. & cap. 31. & 32.* hasce Cleri nærias denuo revocasse, pallio ornasse, & quo scenæ inserviret suæ, Imperatori ex antiquo hoc stilo asserere voluisse *autoritatem sive aliquale Imperium in totum Christianum orbem*. Longe enim politiora sunt nostra tempora, quam ut possimus credere, omnes Reges & Civitates liberas Imperatori eam potestatem regendi Ecclesiastica

K 3

principu-

70 DE IMPERATORE ET REGE ROMANO,
principiam, & non modo ante alios tam insigniter eminentem, sed
etiam quodammodo in reliquos omnes validam, & cui ipsi parere
necessa habent, esse concessuros. Conf. Note & Animadversiones in
Fursten. Fidei quidem unitas est & communio sanctorum, sed externa
ratio regendi & constitueri, quæ ad decorum & iurisdictionem divini cultus
publicamque securitatem factorum pertinent, cujusque gentis
arbitrio in suis finibus relinquuntur.

§. V. Modus autem quo quis ad summam hanc dignitatem orbis
Christiani pervenit, est *Electio*. Obtinuit illa omni tempore circa
constitutionem *Regis Germanie*. Dico non Imperatoris, sed
Regis Germanie. Imperium enim Romanum Carolo & posteris
delatum jure, ut patet, hereditario, vid. Monzamb. Cap. IV. §. 1.
& Kulpisius in *Natis* p. 32. Contra Regnum Francorum neque me-
re hereditarium, neque electitum, sed quod mixto quodam suc-
cessionis modo fuerit delatum. Plus tamen ex successione, quam
ex electione trahebat. Nam nisi ob gravissimas rationes a san-
guine defuncti Regis haud quidquam discedebatur. Conringius
de *Septemvir*, Imp. tb. 13. Maurit. Diff. de Orig. Elec. Cap. I. Rachelius
Diff. de *Capitular*. Cap. 2 §. 5. Duravit illa successionis fere plenæ imago,
etiam stirpe Carolingica cum Ludovico IV. extincta per Germaniam, in stirpe Saxo-Wittekindea, & aliis, usque ad Henricum
IV. Hujus tempore autem status Germaniae, instinctu Pontificum,
quorum intererat, ut robur Imperii licentia eligendi frangeretur,
publica Constitutione in *Comitiis Forchheimensibus* sancivisse 1077.
dicuntur, ne Regia potestas cuiquam per successionem cederet. Conring.
Dissert. de *Septemvir*. §. 20. Monzamb. l. c. §. 1. Sweder. J. P. part.
spec. Sez. l. c. I. §. 18. Ast ostendit Kulpisius ad Monzamb p. 34. Regiam
stirpem aliquoties jure successionis excussam, Imperium vindicare
non destitisse, usque ad Friderici II. obitum, ubi vera Electionis
periodus incepit. Ceterum intuenti dignitatem Cæsaream, in
Archiducali Domo Austriae, tot seculorum decursu continuatam,
non potest non obversari pristinus modus succedendi, plus ex
successione quam Electione trahens, dum ex unica hac Domo, ab
Alberti II. tempore, nunquam interrupta serie, undecim tam litera-
rum triumphis quam militaribus victoriis inclytos Imperatores
Germæ-

DE IMPERATORE ET REGE ROMANO.

71

Germania habuit, non conaumerato Ferdinando IV. qui ut Rex Romanus decessit, & Serenissimo Josepho in Regem Romanum 1690. electo.

§. VI. Igitur per electionem Imperatoria dignitas conferatur in Germania. Normani vero & formam solennis hujus electionis prescrimit Aurea Bulla, id propter condita a Carolo IV. Imp. Modus ibi prescriptus hic est, Moguntinus intra mensem a primo die quo de morte Imperatoris rescivit, Collegis id significat, eosque ad futuram Electionem vocat, qui ipsi, aut per legatos suos comparere tenentur. Possunt vero Ecclesiastici comparere, licet non sint infulati a Pontifice, & Pallium Archi-Episcopale redemerint, Seculares item, licet non sint investiti. Actum Electionis, quæ fit Francofurti regulariter in sacrario templi S. Bartholomæi, auspicatur ceremonia Missæ, a qua tamen Evangelici legati solent abesse, licet adesse possint officii causa. In eadē altare accedunt juraturi, quod idoneam sint electuri Imperatorem. Moguntinus, utpote Decanus Collegii, suffragia colligit, primo loco Trevirensim interrogat & reliquos, ipse ultimo loco sententiam dicit. Plura suffragia pro universis valent. Postea hi ad Altare accedunt, ubi Moguntinus convocatam apud multitudinem electum Imperatorem prouinciat, Conf. Monzamb. C. IV. § 5, & ibi Kulpfus. Dn. Thulemarius de A.B cap. 24. 25. Sweder. J. P. part. spec. sect. I. cap. 2. §. 5. seqq. Primus actus, quem Electus virtute Imperii peragit, est confirmatio jurium Collegii Electoralis A.B. Cap II. §. 5. Sed non minus reliquis Imperii Statibus jura ac privilegia sua vigore Capitulationis, juramento a novo Imperatore confirmanda, hodie quoque specialiter confirmare tenetur. *Capitulare Leopolodi & Josephi art. 3.*

§. VII. Circa habilitatem personæ eligendæ multa a Publicistis solent moneri, quibus præter illa, quæ legibus requiruntur, haud opus videtur circumscribere Collegium prudentissimum, penes quod Electio est, quippe quod melius de bonis corporis & fortunæ eligendi judicare novit ex usu rerum præsentium Imperii, quam umbratici Doctores. Ratione patriæ requirunt plerique, ut Germanus eligatur. Provocant eum in finem cum allegatis a Buxtorffio

72 DE IMPERATORE ET REGE ROMANO.

torffio ad A. B. Conclus. 31. & Thulem, de A. B. cap. I. num. 8. ad Constitutionem Ottonis III, Imp. A. C. 1002. desuper latam. Ast illa Constitutio haec tenuis authentica non comparuit. Videntur insuper dissentientes confudisse duas distinctas questiones. Ex pacto Ottonis M. postea confirmati sub Ottone III. vid. Diff. III. §. 11. quidem fluit, alium quam Germaniae Regem non posse esse Imperatorem; Ast alia questio est, an alias quam Germanus possit esse Rex Germanorum. Nec obstat valde converudo & observantia tanto seculorum usu corroborata. Hæc enim tanquam species juris non datur inter illos, qui non habent superiorem. Hinc illa observantia meri arbitrii manet. add Dn. Thomasius ad Monz. cap. IV. §. V. Suedet interim prudentia & rerum præseatum status, ne temere a Germano Principe recedatur. ~~Et~~as eligendi legibus publicis non est definita, hinc arbitrii Electoralis. Sic Invictissimus Imperator LEOPOLDUS anno 18. electus, hodiernus Rex Romanorum Josephus vero anno XI. Cautum tamen *Capitulatione Josephi* art. 47. ne, si casus contingat, ante annum 18. completum Imperii habendas capessat. Verum nunc per Dei gratiam hæc cura cessat.

§. VIII. Electionem excipit *Coronatio*. Hæc fuit olim in Imperio triplex, Germanica, Langobardica, Romana. Illa Aquisgrani pro Regno Germania; ista Mediolani, pro Regno Langobardico, hec Romæ pro Regno Romano suscipiebatur. Ut enim tres illæ Civitates five Republicæ aeterno fœdere, per pacta Ottonis Magni coaluerunt; ita exinde distincti horum Regnum termini & jura ex triplici hac coronatione, satis manifesta sunt. Interim Coronatio Langobardica dudum in desuetudinem abiit. Causa hujus rei forsitan arcessi potest exillis, quæ *Diffr. III. §. 14. sequ.* adducta sunt. Vocatur hæc Corona communiter ferrea non quod tota ex ferro fabricata fuerit, sed propter laminam quandam ferream in summitate intextam, nescio qua ex causa: vid interim Limn. 7. P. lib. 2. cap. 4. & in Addit. Romanam autem Coronam olim Imperatores a manibus Pontificis accipiebant. Hæc meliori jure ferrea & spinea vocari potuisset, quam Mediolanensis. Nec hoc inscribatur, cui ex historicorum istius temporis monumentis constat,

DE IMPERATORE ET REGE ROMANO.

73

constat, quam vexati & indigna multa propterea nostri Imperatores passi sint a Pontificibus. Inde factum est, ut a Caroli V. tempore a nostris Imperatoribus neglecta fuerit. Hinc communiter censent, propterea Electos Imperatores sese vocasse Successores ejus, non vero simpliciter, Imperatores. Verum & Carolus V. post coronationem Bononiae factam in multis Recessibus v. c. de 1530. & 1532. electum Imperatorem se vocavit. Magna vero pompa & ostentatione olim haec Coronatio Romana peracta est. vid. Goldasti Politic. Imper. P. 4. p. 290. seqq. & Ceremoniale Romanum Marqu Freheri Notis ad Petrum de Andlo annexam. Imprimis vero ad hanc coronationem Status conferre tenebantur pro rata, 2000. Pedites & 4000. Equites. Vocatur alias Expedito Romana, der Römer Zug. Est haec fundamentum Matricula, & secundum hanc hodie Status subsidia die Reichs-Anlagen praestant. Notandum etiam est, quod usque ad Ferd. IV. Imperatores ad stricti fuerint commodo tempore coronam Romanam petendi. v. d. Capitulat. Ferd. III. art. 38. & Ferd. IV. art. 37. Ast in Capitulo Leopoldi & Jos. hoc omisum est, vid. Cap. Jos. art. 30. Hinc Coronatio Romana, multorum ex sententia, nunc ab usu plane recessit. conf. ill. Dn. de Rhetz Comm. ad Jus feud. L. I. t. 1. pag. 88.

§. IX. Remanet ergo & in usu est sola Coronatio Germanica. Locus in quo haec ceremonia peragi debet Aquisgranum est, antiqua Carolorum sedes, A.B. cap. 18 § 5. & ibi Limnaeus obs. 9. Suasit tamen conditio temporum sapius, alibi quam hic coronationem peragere, quod vel novissimo Josephi Regis exemplo comprobatur, qui 16. o. Augustæ Vindelicorum coronatus est. Quod cum ante aliquoties jam contigisset, acris inde disputatio orta est inter Moguntinum & Colonensem Archipræfules, de jure Coronandi. Evidem Archi - Episcopo Colonensi jus Diadema regium imponendi tribuitur in A.B. cap. IV. §. 4. Ast Moguntinus urgebat, fuos olim Antecœfiores usque ad Henricum III. hoc jus exercuisse. A. Bullam restringendam esse ad Aquisgranum, utpote ad Diœcesin Colonensem pertinens, in locis vero extra illam sitis v. c. Francofurti, Augustæ, Ratisbonæ, jus ad se, utpote totius Germaniæ Primate, pertinere. Propugnavit haec jura Con-

L

rin-

74. DE IMPERATORE ET REGE ROMANO.

ringius in *Affertione juris Moguntini*. Ast non segniter Colonensis vindicias adornandas curavit, adeo ut res ad arma devenisset, nisi interventu aliorum 1637. amica transactio platusset, juxta quam uterque jus Coronandi habet, si scilicet peragatur in urbe, quæ in ipsius Diœcesi est, si extra utramque Diœcesin, alternatio placuit. vid. transactio apud Limm. ad A.B. c. IV. §. 3. obs. 4. & in Dario Europæo ad an. 1638 p. 93⁸. Observandum vero est, hic non fuisse controversiam de actu impositionis Corona, nam ad hunc, per notissimam praxin, omnes tres Electores Ecclesiastici concurrunt, sed de actu consecrationis & benedictionis, quæ tempore Coronationis fieri solet. Vid. *Dissert. de Mutatione A. Bullæ* §. 19. Reliquas ceremonias, Electionis & Coronationis, prout observatæ sunt coronatione in Gloriosiss. Josephi, lingua vernacula descripsit diligenter Sigism. Ferrarius, de quibus plura hic adducere, nil attinet. Nomen hodierni Imperatoris æque supervacaneum hic exprimere, cum rerum gestarum felicitate ac magnitudine, Invictissimum nomen LEOPOLDI, dudum Christianis gloriosum, Turcis & Tartaris vero aliisque infidelibus tremendum exiterit. Hoc famatabulis æternitatis consecravit, & posteritas Magni appellatione conservabit. Illi interim sibi non videntur constare, qui Leopoldum I. vocant, nescii an secundum & tertium sint habituri.

g. X. Supereft nunc ut dispiciamus, qualia jura, qualemque potestatem nanciscatur cum Electione & Coronatione novus Imperator Romano-Germanicus. Hic vero ab initio quilibet rerum vel modice peritus, mecum fatebitur, in decisione hujus rei, non posse respici cum veteribus JCris ad potestatem veterum Imperatorum Romanorum, aut postea Græcorum Imperatorum. Hospes enim in historia est, & prodit peritiam ultra fines corporis juris civilis non multum sapientem, qui diversa hæc Imperia una ulna metienda judicat. Neque ex scriptoribus, qui pro Cæsarum potestate adversus Curiam Romanam pugnarunt, & collecti sunt a Goldasto tribus *Tomis Monarchie S. R. Imperii*, tuto de potestate Imperatoris potest differi. conf. Boecler. *Notit Imp. L. IV. c. i.* Ergo nil restat, quam ut leges publicas Germanicas inspiciamus, & inde genuinum conceptum de potestate Imperatoris formemus. Ingenere ab initio quari potest; an per *Capitulationes salva*

DE IMPERATORE ET REGE ROMANO.

77

salva maneat Imperatori Majestas sive summa potestas in Imperio? In responsione autem hujus quæstionis licet deprehendere secundū Monzambanum. c V. §. 4. fœdam adulandi libidinem, aut insignem doctrinæ civilis inficiam. Exemplum est Reinkingius supra adductus Differ. II. §. 12, subinde ingeminans, *Capitulationem angere Majestatem Imperatoris, instar legis Regia veteris, que non sublata sit, nec sine scelere tolli possit.* Qui autem meliorem philosophandi rationem iniisse existimantur, distinguunt cum Limnae, quem defendit Strauch. Diff. Exoter. I. §. ult. inter summationem & plenitudinem potestatis; hanc Capitulationem non illam minui, censent. Verum graviter hisce obstat dubium Rachelii Diff. de Capit. c. 6. §. 4 sequ. quod plenitudo potestatis sit ipsa formalis ratio summitatis, & hinc, si illa minuatur per leges scriptas, non appareat, quomodo summitas salva manere possit. Ut enim summum quis obtineat Imperium, non sufficit superiorem non habere, sed requiritur ut jussibus ipsius citra tergivationem aut provocationem cæteri teneantur obedire, Monzamb. cap. V. §. 4. quod qui de potestate Imperatoria vellet asserere, is certe hostes esset in cognitione status Germaniz. Nobis igitur videtur rem posse ita componi. Majestas, sive summum in civitate Imperium, consistit in exercitio libero iurium quæ ad conservationem & defensionem civitatis pertinent. Si exercitium horum iurium nonnullorum est restrietum, tunc non quidem plenitudo potestatis adeat, summitas tamen salva videtur, si per promissionem non transferatur potestas ad eos quibus promittitur contra facta rescindendi, sed sola clausula annullatoria. Nam formalis ratio Majestatis consistit quidem in summa libertate, h.e. quod non subjaceat aliorum arbitrio, interim promissis restringi potest, nec summa propterea desinit esse.

§. XI. Ut vero hoc clarius pateat, per partes Imperatoriaæ potestatis eundum est, & singula jura consideranda. Jus constitueri Magistratus in civitate, est citra dubium unum ex præcipuis summiæ potestatis. Ast hic Cæsaribus nil amplius potestatis. Sub Carolo M. quidem olim Status magistratus fuere ex communi sententia, hodie vero illijure proprio possident suas terras. Equidem potest Imperator alicui conferre titulum Principis Imperii, verum Jus suffragii ferendi non potest dare citra reliquorum con-

L 2

sensus;

76 DE IMPERATORE ET REGE ROMANO.

sensum: *Capit. Leopold. Art. 44.* Perinde non est in Imperatoris arbitrio unico, alicui dignitatem Principis adimere, aut quempiam Ordinum suis ditionibus expellere; sed in notorio etiam crimen, saltem Electorum consensu opus habet. *Capit. Leopoldi. Art. 28.* Interim Ordines Imperii subditos suos, proprio imperio, vel prout cum ipsis paci sunt, regunt. *Capit. Leopold. Articul. 3, 7, 8, 9.*

§. XII. Arbitrium Belli & Pacis non est penes solum Cæfarem, sed Ordines in Comitiis. Nisi enim Status tam in bellum, quam ad sumptus conferendos consenserint, non est quod auxiliij quipiam ab uno eorum sibi pollicetur Cæsar, nisi peculiares ipsi cum Domo Austriac rationes intercedant. Connexum cum his ius foedera pangendi. Verum & hoc per *Art. 10. Capit. Josephi* ita restrictum, ut ne quidem foedera defensiva pangere possit Imperator nomine Imperii, absque consensu Electorum.

§. XIII. Circa Sacra potestas Imperatoris exigua aut fere nulla. Nam per pacem religiosam Jurisdictio Pontificis in territoriis Evangelicorum suspensa, & libera manet iis facultas dispensandi & disponendi circa sacra. *Conf. Dn. Strykii Diss. de Jure Papali Principum Evangelicorum.* Quo ad Status Catholicos autem & constitutionem Episcoporum, notum est, quod per cessionem Henrici V. & Concordata Nationis Germanicae, nil fere hic Imperatori superfit potestatis aut ille etiam, ob religionem qua imbutus, pretendant. Jus vero primariarum precum nec tanti est, & exiguae reliquias juris pristini ostendit.

§. XIV. Jus leges ferendi de Statu publico, per indubitatam praxin, non est penes solum Imperatorem, sed Status in Comitiis. Quod in genere observare licet. Nam si quid incidat, quod summam Reipubl. spectat, de eo haud quidquam licet Imperatori pro lubitu statuere, sed in Comitiis, sive universalium Ordinum conventu ejusmodi negotium est proponendum, & ex consensu eorundem definendum. *Capit. Leopold. Art. 39.* Interim illud fateri fas est, in omnibus negotiis totum Imperium concerentibus, & hinc in Comitiis peragendis, non tantum concurrere Imperatorem, sed & primas ubique partes gerere. Jurant etiam Ordines Imperio & Imperatori fidelitatem, sed salva sua libertate suisq; iuribus h.e.volunt Status jura territorialia salva habere, nec tamen in

N. 99

DE IMPERATORE ET REGE ROMANO.

77

in plenam evadere libertatem, sed potius aliquo modo Imperatori & Imperio obstringi. Inde reliquæ illæ quæ Imperatori, tanquam Capiti, competitunt. (1) Jus proponendi in Comitiis. Swed. *J. P. part. spec. sest. I.c. 19.* (2) Jus aëta publica suo nomine expediendi. (3) Jus legationes nomine totius Imperii peragendi & recipiendi. Kulpis. *de Jur. Legat. cap. 5. & 23.* (4) Jus providendi ne Imperium detrimentum capiat. *Cap. Leopold. Art. 13.* (5) Jus investiendi de feudis immediatis. (b) *Jus Albergariae.* (7) *Jus Aperturæ Vitriar.* *lib. 3. t. 19 §. 100. sequ.* Ast omnia hæc Jura, & plura alia quæ Imperatori communiter tribuuntur, ita sunt comparata, ut pauca solus v. c. Investituram, reliqua cum consensu Ordinum in Comitiis peragat.

§. XV. Ex hisce fatis patet, quantillum Imperatoris unico arbitrio relictum sit, circa summa jura Majestatis. Illa vero jura quæ *Reservata Imperatoria* vocantur, & non statum totius Imperii, sed hoc vel illud Statuum territoriorum attinent, sequenti *Dissertatione* enucleabimus. E contrario ex denegatione jurium Imperatoris in Imperium, facile concludere licet, quid Ordinibus ad summum Imperium desit in suis provinciis. Habent Status jus vita & necis: leges condunt etiam juri communi repugnantes: omnes redditus ex suis provinciis capiunt: tributa indicunt: fœderata inter se & cum exteris feriunt: modo non spectent contra imperatorem & Imperium: armis se defendunt: injurias sibi illatas ab exteris armis vindicant: munimenta in suis ditionibus exstruunt: monetam cudunt: Libertate religionis gaudent: Breviter. Omnia jura quibus ad gubernandam & conservandam civitatem necesse habet summa potestas, & illi possident sub titulo. *superioritatis territorialis.* Hæc revera *Majestatum* involvit, licet stylo juris publici ea appellatione abstineant, ob memoriam haud dubie pristini status. Quod autem ditiones suas tanquam feuda agnoscant, hoc non tam ipsorum potestatem, quam habendi modum afficit; & ritus potius solennis, quam veræ collationis vim investitura habet. Inania vero titulorum, quod Imperator ab omnibus Statibus vocetur *Dominus Clementissimus* & alia, genius seculi, stylusque Curiæ produxit, nec plus habet efficaciaz, quam alia verba honoris, in quæ ignavissimus quisque operum solet esse effusissimus.

§. XVI. Ex hac porrojurium Imperatoris Statuumque de-

linea-

L 3

78 DE IMPERATORE ET REGE ROMANO.
lineatione, tutius & solidius aliquid differi posse existimo de forma
Imperi Germanici. Puto enim, manifestissimum esse, latitare aliquid
in Germania Republica, quod eandem ad simplices Rerumpu-
blicarum formas referri prohibet. Sermo vero est de forma to-
tius Corporis. Nam singulae partes, sive Status, si spectentur,
Principatus Ecclesiastici & Seculares Monarchiarum instar sunt.
Urbium autem liberarum nonnullae Aristocratico, nonnullae De-
mocratico regimine utantur. Cum vero tot lites & disputationes
de forma Imperii sint, recte annotat Monzambano *Cap. VI. §. 3.*
hoc tanquam indicium Reipublicæ valde irregularis esse, quan-
quam & haud paucorum nulla rerum civilium aut valde tenui
scientia instructorum inscitia, non minima dissensionum & cla-
morum causa sit. Quibus igitur erectum libertatis studium o-
ffentare placet, illi *Aristocraticam Germaniae formam assignant*.
At hæc corrunt ex observatione Monzamb. p. 320. quod ad Ari-
stocratiæ requiratur, ut summa potestas sit penes statum ali-
quem & perpetuum Senatum, cuius sit, deliberare & statuere de
omnibus negotiis ad Rempubl. spectantibus, executione rerum
quotidianarum aut singularium Magistratibus certis delegata,
qui Senatui rationem gestorum reddere teneantur. Atque talis
Senat⁹ in Germania haud quidquam datur. Ceterum non felicius
pugnarunt, quin potius risui cordiorum semet exposuerunt, qui
cum Reinkingio, Stamero, Witzendorffo aliisque recentioribus, vid.
*Acta Erud. Lips. Mens. Augst. 1689. p. 422. sequ. fere absolutam mo-
narchicam formam Imperio assignant.* Qui *Democraticam formam*
Imperio tribuerit, sù nondum vidisse dicit Monzamb. *C. V. §. 3.*
Nihilo minus *Resenso* quidam in *tract. de suprem. Princip.* pro sua
audacia, *Politiam Germaniam esse*, contendit, realem & perso-
nalem Majestatem Statibus adscribens, quem castigavit *Teutobur-
gius* sive *C.L.Schurtzfleischius*.

§. XVII. Omnia optime autem rem tetigisse ac sobrie phi-
losophasse sibi videntur, qui Germania formam esse *mixtam as-
serunt*, ita ut Monarchia Aristocratico regime temperata sit.
Ubi iterum alii, Monarchiam in hac mixtura præponderare con-
tendunt cum Boelero *Not. Imp. L. 22. c. 1. §. 2.* Carpovio *de Lege Re-
gia Cap. 13. sect. 9. n. 1.* Alii autem cum Limnaeo, primas partes assi-
gnant

DE IMPERATORE ET REGE ROMANO.

79

gnant Aristocratiæ. At vero, ut operam ludant, qui de hac re inter se contendunt. Nam tota illa mixtura, prout vulgo traditur, inane figmentum est non quadrans ad principia Juris publici universalis, & sic etiam non ad jus publicum Germanicæ, quicquid etiam regerat de cetero satis docte, Kulpisius ad Monz. c. g. Regula fundamentalis omnium civitatum, quæcunque forma sit, est: *Majestas est una in civitate & indivisibilis, plures partes potentiales habet circa diversa objecta occupatas, que omnes sub summi Imperii notione in unam voluntatem influuntur.* Unio hæc est anima reipubl & facit regularem formam. Natura & indeo omnium civitatum non aliter fert, quam ut status sit ita connexus, & in eo sit talis unio, per quam omnia, quæ ad Rempubl. regendam faciunt, velut ab una anima proficiunt videantur. Conf. Dn. Pufend. de *Jur. Nat. & Gen. Lib. 7. Cap. V. §. 13.* Fit hoc in Monarchia per Principem, in Aristocratiæ per Optimates, in Democracy per Populum. Inde nunc patet primum falsum Kulpisi, in quo tota ejus mixtura fundatur. Admittit ille, in omni civitate tale debere esse Imperium, quod liberum judicandi & praescribendi arbitrium habeat circa omnia ea, quæ ad gubernationem illius consecutionemque finis & salutis necessaria sunt, & si in uno facultas ista deficiat, aut ab alterius extra eum constituti voluntate dependere incipiatur, jam non amplius Imperium summum, nec civitatem esse. Falsa est hac hypothesis Kulpisi, quod independentia ab aliena voluntate, summum Imperium destruens, restringatur *ad alienam voluntatem extracatum.* Nam eadem ratio, si facultas imperandi dependeat ab alterius voluntate, qui *intra eundem eum est,* si scilicet esse consideretur ut alter, h. e. ut a priori dissentiens. Ponamus, Principem in civitate habere *jus foederum, Seruum jus belli, Populum jus contributionum.* Princeps non habebit Majestatem, quia *jus belli & contributionum amisit, nec Senatus;* quia non habet *jus contributionis, foederum;* nec *Populus,* quia *destituitur jure belli, foederum.* Nec omnes conjunctim Majestatem habent, si sint dissentientes, quia *neuter poterit alteram partem jure cogere.* Conf. Dn. Thomasius ad Monz. cap. V.

g. XVIII. Ex quibus breviter adductis manifestum fit, totam illam mixturam, à plerisque operose inculcatam, non consistere posse

83 DE IMPERATORE ET REGE ROMANO.

posse cum vera Politica, nec etiam citra misericordie confessionem applicari posse statui Germaniae, cuius formam ad regularem structuram non quadrare, velint, nolint, concedere necesse habeant. Vergit enim Germania ad systematicam formam plurium sociorum inaequali foedera nexorum. Faterur Schildius de Coalit. populor. & Rerumpubl. L. 2. c. 3. Non inutiliter ad statum hodiernum Imperii applicari, quaecunque de Civitatibus foedera unitis disseruntur. Animadvertis hoc iam olim Thuanus Lib. 2. hist. ubi Germaniam comparat cum Amphychionum confessu Graciz. A quo non abudit doctissimus Jac. Gothofredus in Achaic. Acheorum Concilio Germania Comitia similia esse perhibens. Ulricus Huberus accuratissimi judicij I Ctus L. I. de Civit. seet II. cap. 2. solide ita de Germania philosophatur. *Res publica definitur ordo civitatis, consitens in regimine summae potestatis, & subjectione reliquorum, per medios magistratus.* Ubi igitur talis ordo, ibi est civitas, eque ac corpus ubicunque anima est. Ubi plures ejusmodi ordines, ibi & plures Civitates ac respublice intelliguntur. Proinde Helvetiorum atque Belgarum, per me licet addas Germanorum, *Imperia, non singulas, sed plures constituant civitates.* Idem postquam cap. 3 recentiuerit systemata foederum Belgii & Helvetiorum, subjungit: *In Imperio sive Regno Germaniae, magis alias species, quam res est. Speciem diversam facit, quod Germani foederis sui Principi nomen Cæsaris, Imperatoris, Augusti, que verba implent auditum idea summae potestatis, adscribunt, eundemque omnibus Majestatis imitamentis proficiuntur.* Sed qui norunt moralium rerum naturam ab effectis aestimari, *Principesque & Civitates Germaniae liberas, vident, omnibus ferè summa potestate juribus independenter a Cæsaris arbitrio uti, non dubitabunt, quin Germania sui corpus foederatum, in plures summas potestates distinctam potius, quam unam civitas.*

§. XIX. Ita judicant de Germania summi Politici exteri. Cum quorum calculo, quod nonnulli domestici scriptores non conspirent, varias causas a præjudicio autoritatis, inficiæ politices solidioris & historiae patriæ, arcessunt alii, de qua re prudentiores dispiciant. Ridebatur Monzambano ab assuetis Philosophiæ Reinkingianæ, aut alterius ei similis, cum primum haec sententiam C VI sui libelli proponeret. Nec poterant hoc concoquere Pacificus a Lapide, Schoockius, Teutoburgius, Scharschmidius, & qui omnes hos iudicio

No 94

DE IMPERATORE ET REGE ROMANO.

81

dicio & doctrina longe antecellit, *Kulpisus*. Nescio quid monstri aut periculi huic sententia subesse clamitabatur. Docuit vero experientia, prudentiorum nonnullorum applausum invenisse, & spes est, plurium in posterum esse inventuram, cum omnes nunc incipient præjudicia in Jure Publico, uti in multis aliis disciplinis, serio exuere. Nil tamen periculi inde accessisse, notum est. Et indicium falsæ sententia esse solet, si contraria, propterea rejicitur, quia pericula parere posset.

§. XX. Satis vero actum putamus de forma Imperii, occasione potestatis Imperatoriaz, disquisitioni subjecta. Nunc quomodo Imperatoris potestas finiatur, videamus. Desiat vero Imperator esse *auxilioratione, resignatione, morte*. De primo modo non multum attinet dicere, quia nostrorum temporum felicitas & seculi moderatio hoc nos timere vetat. Vetera exempla in depositione *Adolphi Nassovii, Wenceslai*, aliquid juris, multum vero facti habent. Resignationis autem exemplum contigit illustre in abdicatione Caroli V. quod uti non multa paria exempla ante se invenit, ita forsan nec post se. Politice inquiritur causas abdicationis hujus Famianus a Strada de Bello Belgico Decad. I. lib. 1. 2. Cui debeat hoc casu resignatio fieri, discutit Conring ad Lampad. p. 3. c. 2. §. 7. ubi impudentiam Pontificis Rom. resignationem sibi fieri debere contendentis, simul redarguit. Igitur supereft mors Imperatoris. Hoc casu autem Rex Romanorum si adsit, mox circa alium actum Imperii habens capessit. Paucis igitur de Rege Romanorum agendum adhuc erit.

§. XXI. Eligitur hic extraordinarie vivo adhuc Imperatore. Hujus consensum usque ad Capitulationem Leopoldi implorare electuri tenebantur. Ait ad desiderium Statuum in *Monitis ad Capit.* plane omissa est humili illa imprecatio, ut sic invito Imperatore Regem hodie eligere fas sit. Differit vero Rex Romanus ab Imperatore tum in Ceremonialibus, tum potestate. Cæsar ipsum appellat *Cævre Liebden* Rex Cæsarem *Cævre Majestät*. vid. Limn. *J.P.L.2.C.15.* §. 46. Aquilam gerit unicipitem, dextro solum capite prominente. Hoping, *de Jur. Insign. C.6.n.363*. Nigra illa est, lingua, rostro & cruribus coccineis, circulo in capite ejusdem coloris. Chifflet. *de Equit. Aur.* Veller. n. 48. De potestate autem Regis Romanorum, vivo Imperatore, varie disceptatur, aliis Majestatem ipsi tribuentibus, aliis denegantibus. Puto liti ansam dedisse vocabuli Majestatis variam acceptationem.

M

acceptationem.



82 DE IMPERATORE ET REGE ROMANO.
tionem. Quatenus Majestas sumitur pro personali dignitate , tum quis Regi Romano illam denegaret ? Si vero Majestas denotare debet protestatem illam quam Imperator habet in Imperio, tunc potest concedi, habere illam Regem Romanum, sed in actu primo, in actu secundo sive exercitio , quiescere illam usque ad mortem Imperatoris. Pluribus terminis Philosophia sc holistica si rem involvere vellemus; vereremur nauseam lectorum. Nam delicatori sunt gaudi Cordatores hodie prædicti, quam ut æquo animo audire possint, Imperatorem habere se tanquam conditionem sine qua non erga Majestatem Regis Romani, hunc Majestatem eandem numero totam habere.&c.

§. XXII. Ceterum an consultum sit Imperio, vivo Imperatore, Regem eligi? quæstio est, qua magis ad Politicam pertinet, & ex usu rerum decidenda est, quam ad jus publicum. In negativam videatur recte inclinare Du May *Etat de l' Empire. p. I. Dial. 2. p. 81.* Quelques uns disent, que quand on crée un Roy de Roms, pendant la vie de l' Empereur, on donne deux Chefs à l' Empire & deux Maîtres aux Alemands, qui ont bien de la peine d'en suffrir un. &c. Verum hæc possunt elidi ex illis, quæ modo adducta sunt de potestate Regis Rom. Nec acu hac in parte tangit rem Monzambano *de Statu German. c. 4.* §. ult. existimans, causam, cur vivo Imperatore Reges Rom. eligantur, proficiſci ab Imperatoribus, ut sè vivis facilitiori negotio filios, fratres, Proxiſmosve agnatos ad Imperium proveherent. Ait melius alii pro causa impulsiva Electionis Regis Romani venditant metum periculorum, quæ ex interregno timentur. Et hæc etiam causa fuit in ultima electione Glorioſiss. Josephi, simul ut Gallo omnem spem præſcinderent pervenienti ad culmen Imperiale. Conf. Autor, des Bedenkens, worzu bey fürgegangener Wahl des Höchmischen Königes Josephi gesamte Reichs-Stände berechtiget / und wie sie sich dabey zubezeugen haben 1690. p. 12.

§. XXIII. Disceptatur porro, an reliquorum Statuum consensu opus si novus Rex eligendus sit vivo Imperatore ? Resp. multos id afferere sequerationibus. Superiori seculo cum in Electionem Ferdinandi I. Elector Saxonia & Socii non consentirent, sex alios Principes de quæſtione, an eligendus sit? cum Electoribus judicare debere, contenderunt. Sic ordines Circuli Saxoniæ infer. 652. affirmarunt, de quæſtione, an eligendus sit? Status debere calculum ferre. Vid.Dn.S. ed. part. spec. ſect. I. C. 2. §. 5. denique in Inſtrum. Pac. Art.VIII. §. 3. præter alia etiam

DE IMPERATORE ET REGE ROMANO.

83

etiam de Electione Rom. Regis in proximis Comitiis ex communi
Statuū consensu, ut agerentur & statuerentur, cōventum est. Hinc,
cum Electores Statuum reliquorum consensum negligerent in Elec-
tione Josephi Regis, illi protestatione interposita jus suum sibi re-
servarunt. vid. alleg. Aut des Bedenkens 2c. Interim quæstio, quis
sit eligendus? ad solos Electores pertinet. vid. Schilter Instit. J.P.L. 1.
tit. 17. §. 2 sequ.

§. XXIV. Capitulatio Regi Romanorum æque præscribitur ac
Imperatori, illa tamen potissimum futurum Regimen respicit, nam
vivo Imperatore ipsius potestas quiescit, & ille nihil potest Imperatoris.
Bæcler. noit. Imp. L. IP. c. 2. p. 96. Limn. ad Capitol. Maxim. II. de tomo 5. pag. 80.
sequ. Præ omnibus Regibus præcedentiam habere ipsum, notat Cru-
fius de Jure proœdria L. 3. Cap. 2. ob spem amplissimæ successionis, &
quod jam caput Imperii sit post Imperatorem, Rec. Imp. de A. 1555. & 1569.
Verum hujus rationes non semper æque validæ solentesse. Reges di-
gnitate æquales sunt, necab uno, ut alteri cedat, jure postulari po-
test. Interim consuetudini, possessioni & receptæ a multis seculis ob-
servantia multum hic deferendum est.

§. XXV. De Imperatrice ejusque juribus, ut quædam addamanus,
materæ affinitas svadet. Vocantur Imperatrices Augustæ, qua appellati-
one Livia Augusti conjux primitus honorata est a Senatu, una cum
Matris Patriæ titulo. Tacitus I. annal. cap. 14. conf. Schurtzfleisch. Diff.
de titulo Augusti. Postea & Agrippina cognomento Augustæ appellata
est. Tac. Annal. 12. c. 26. Scilicet non ipso jure consubii Augustæ jura
obtinuerunt, sed demum cum in Augustam renunciarentur. vid.
Excell. Dn. Schilter Inst. Jur. Publ. lib. I. tit. 16. §. 1. Successiva vero tempo-
ris, Augustæ nomen & privilegia Imperatoris & Regis conjugi qua-
tali, atque ipso jure connubii competiere. Hinc tam Imperatoribus
Francicis, quam Sax. nibus existentibus, Imperatrices in consortium
Imperii fuere receptæ & in Curia Imperialibus atque judiciis sedes iis
assignata, proxima ab Imperatore, vid Goldast. tom. 3. Conf. Imper. f. 192.
Quem morem si conferamus cum aliarum gentium institutis discre-
pantibus in hoc puncto, non possumus aliam causam assignare, quam
institutum Germanorum Francorumque erga sexum sequiorem affe-
ctum Certum est, inquit illustr. Dn. de Rhetz. J. P. lib. I. tit. 1. §. 41. uxo-
ribus

M. 2



ribus & foeminiſ Germanos communiter multum addictos fuiffe, confilia earum non temere aspernabantur, multaque ex earum arbitrio decernebant. Inde tanta veneratio ergo *Auriniam & Velledam*, de qua ultima Tacitus ipſe, ut pote Procurator Belgii, testatur, sanctum aliquid foeminiſ in eſſe, credidisse Germanos, & Valledam diu Numinis loco apud plerosque habitam, vidisse ſe ſub Vefpasiano, conf. Dn. de Rhetz, c. §. 40.

S. XXVI Ex hoc igitur fonte derivandum videtur, quod Imperatrices veteres in curam Imperii fini afflumpta. Multis egregiis testimoniis huic rei fidem conciliat Dn. Schilter I. c. In Diplomate Ecclesiæ Patavinae an. 963. ab Ottone M. dato, haec verba occurunt: *Confatu & interventu dilectæ Conjugis noſre Adelheide & consortis Imperii noſtri.* Nihilominus huc potestas Auguſtarum ab arbitrio Imperatorum dependiſſe videtur. Nam, ut bene annotat Schilterus, I. c. mansit paritas inadæquata, & ſocia ſubordinata Imperatori atque Marito. Quod & re judicata comprobavit Otto III. Imp. Auguſtam adulteram & homicidiī ream ad ignem & vivicomburium condemnando. vid. illuſtr. Dn. Strykii *Difſ. de Foro Princ. & Privat. Communi*, Cap. I. n. 24. Quod coronationem Auguſta attinet, moribus introductum, & conſuetudine Europæ confirmatum eſt, ut Imperatrices non minus quam Imperatores coronentur, ſive ſeorsim, ſive una cum Imperatore. Prioris Exemplum ſuppediat Glorioſiſima Imperatrici hodierna 1690. Auguſta Vindelicorum ſolenniter corona ornata. Qui mos & apud Reginas ſervatur, corona ipſarum capitib⁹ perinde ut maritorum imposta. Recentissimum, & incredibili ſplendore ac inuifitata Pompa peractum exemplum ſiſtit tabulisq; æternitatis conſecrat Coronatio Sereniss. CAROLAE SOPHIAE Electricis Brandenburgicæ, & nunc Reginæ Prußicæ. Nam XIIIX. Febr. aufpicatissima Genti Prußicæ ac Brandenburgicæ die, non ſolum Serenissima Elektor in Regem inunctus & coronatus eſt, ſed & Serenissima Conjux iisdem ceremoniis ſolenniſſime corona accepit,

Halle, Diss.) 1701 (Br/R)

ULB Halle
001 513 001

3



56

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
Inches

XXXI.

1701 11^b
18.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO JVRIDICA

De

IMPERATORE ET REGE ROMANO.

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. FRIDER. WILHELMO,
CORONAE BORVSSICAE AC ELECTORATVS
HEREDE &c. &c. &c.

IN ILLVSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA
PRAESIDE

DN. JAC. BRVNNEMANNO
JVRIVM LICENTIATO.

D. 18. Febr. 1701. H. L. Q. C.

Eruditorum disquisitioni subjicit
AVGVSTVS ADOLPHVS ER MISCH,
BRVNNSV ICENSIS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,
Typis JOHANNIS GRVNERI, Acad. Typogr.